quam ut omnia in suum detrimentum convertant. Primum pro artjum omnium versutissima recenseri potest illa oculos obstruendi luminibus gratiæ per formalem resistentiam, atque ut loquitur Job per apertam rebellionem: *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. Etenim quemadmodum gratia, licet valida, & potens, tamen in agendo abstinet vi; sed hominem relinquit in plena, integraque libertate ejdem assentiendi, vel eam rejiciendi; non desunt peccatores, qui ut majori cum impunitate scelera committant, & tranquillam in flagitiis suis vitam ducant, rejiciunt Cæli gratias, & permanent cæci in summa luminum copia, obduratique in tanta multitudine motuum, quibus pertinaciter obluctantur. 2. Secunda est illorum ars, qui cum nondum omnem pietatis sensum abjecerint, nolunt tamen conterere nexus, quibus prohibentur, ne se mancipent Deo; & ne cogantur se se dedere luminibus, & illecebris gratiæ, ab illa mentem avertunt; sexcentis aliis vacant negotiis, ne mi quod præcipuum est, vacent; suavissimas quærunt societates, ac alia solatia, quæ efficiunt ut omnes sanctæ cogitationes evanescant. 3. Tertia denique ars, eorum est, qui cum minime possint se abscondere, ac subtrahere se luminibus gratiæ, neque evitare intrinsecos motus ejusdem, quærunt saltem in dies deditionem differre, quemadmodum de se ipso testatur Sanctus Augustinus; *Modo, & modo: & illud modo non habebat medum*. 4. Alii tandem per calliditatem, vel potius indignam dispensationem nolunt nisi ex dimidio sui dedere Deo, Deum cum Mundo conciliare volentes, & obsequi gratiæ dumtaxat in quibusdam rebus, quod Deum cogit, ut omnino recedat. Hæc omnia videmus cum in nostro Evangelio, & in Verbis Salvatoris adeo explicite connotata, ut suavitas, & vis gratiæ sua in luce refulgeat: tum in responsionibus Samaritanæ mulieris, in quibus patet versutia peccatoris, ejusque resistentia, ita ut nihil esse possit explicatius.

Job 24.

Vide eumdem locum, quem in superiori argumento indigitavimus.

III. ARGUM. Pro eadem die.

Sumptis pro Textu iisdem Evangelii verbis ostendere possumus artes multiplices, quibus Gratia viam sibi aperit in cor peccatoris, & docere

Primo quibus mediis utatur gratia ad peccatorem convertendum. Illum prævertit, eique obviam occurrit ne cogitanti quidem; quærit ut ita dicam commoda sandi tempora, & occasiones idoneas; illustrat mentem illius; effundit in eam lumina, quæ illi proponunt videndas alia prorsus in luce veritates æternas, procul ab ea, qua hactenus viderant; tangit cor illius, & efficit ut oboriatur in eo desiderium sequendi Deum, & a nequitia discedendi.

Secundo, quibus mediis uti debeat peccator, ut se gratiæ fidelem exhibeat. Attentum se præstare debet omnibus gratiæ motibus; celeriter illi debet respondere, ne prætervolet non amplius reversura: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Debet tandem afferre constantem fidelitatem in exequendis iis, quæ ab eo expetit gratia.

Aliter efferri potest hoc ipsum argumentum;

Alia etiam ratione hoc pertractari potest argumentum; videlicet gratiam considerare possumus

Primo quatenus oblatam; atque tunc ad examen revocandum est pretium illius: quanti stetit illa Filio Dei; finis propter quem illam exhibet nobis, & ad quid nobis sit necessaria. Quod efficiet ut enixis precibus illam flagitemus, & cum submissione ei præstolemur.

Secundo considerare illam possumus tamquam receptam, atque tunc ex nobis exigit fidelitatem, grati animi sensum pro tanto beneficio, & alacritate, ut illi obsequamur.

Ostendi etiam potest suavitas, & vis gratiæ.

Suavitas apparet, quod lenit, & levius facit jugum servitutis Dei, ita ut amemus quidquid corrupta natura fastidit, & repleamur gaudio, & consolatione in gravissimis tribulationibus.

Secundo vis apparet, dum efficit, ut omnes vincamus affectus quamvis violentos, & intractabiles, ut superemus obices insuperabiles, ut sustineamus occasiones periculo propiores, & tentationes acerrimas, ac tandem ut difficillima quæque ad optatum finem perducamus.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: GRATIA.

PRO IV. DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Joannis 6.

I. ARGUM. De Providentia Dei in Justorum necessitatibus.

ITA Mundi Salvator ab Apostolis suis percontatur in hodierno Evangelio periculum facturus fidei, & confidentiæ illorum. Verum Auditores lectissimi, quid vobis videtur respondendum fuisse ab illis, qui illum jam viderant tot, tantaque miracula operantem? Ecce nihilominus quod in urgentissima necessitate, & occasione, in qua Dei Filius tenebatur non deserere eos, qui omnia deseruerant, ut illum sequerentur; de ceteris cogitant adminiculis, quin intelligant, eum, qui hanc populi multitudinem sermonis sui illecebra in desertum adduxerat, & qui eorum animas divini verbi pabulo aluerat triduo, facilius prospicere posse corporum necessitati. Sed veritatem fateamur. Nihil magis patet, quam Dei providentia, quæ regit, & alit totum hunc Orbem; de qua homines tamen in suis necessitatibus minime cogitant. Quamvis nobis persuasum esse debeat, & reipsa persuasum sit de miseria nostra, & modica potestate quam habent creata ad opem nobis ferendam in necessitatibus; tamen Deus ille est ad quem serius confugimus. Deplorabilis humanæ mentis cæcitas! Quid? Nunquam ne intelligamus in divina providentia nobis potissimum esse confidendum? Naturæ ordo, Cælorum motus, Elementorum consensus, & tanta creatarum rerum varietas, quibus quotidie prospicit Deus, ubique providentiæ ipsius gloriam enarrant; homines soli, qui illius sunt præcipuum objectum, impugnant illam, vel rationibus, vel saltem actionibus, & diffidentia, quam in suis necessitatibus præseferunt.

Dei Filius, qui toties exprobravit Apostolis suis modicam in re hac fidem, hodierna die viam miraculorum adhibet, ut per celeberrimam hanc panis multiplicationem, in Evangelio descriptam, illos persuadeat, & futurum spero, viam hanc ab hujus deserti secessu ad nostras usque aures personaturam. Quamobrem quin immorer in generali hac Providentia, quam habet super omnia creata, quandoquidem miraculum hoc operatur in gratiam eorum, qui illum sequuntur, fert animus vos alloqui de ea tantum, qua peculiariter prospicit Justis, in qua deprehendo duas qualitates, quas Sapiens tribuit huic generali providentiæ: virtutem nempe, & suavitatem: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. De duplici hac qualitate hodierna die apud vos sermonem instituam.

Sap. 8.

Primo quidem de virtute, quæ se se prodit efficaciter consulendo necessitatibus confidentium in Deo.

Secundo de suavitate, quæ efficit ut citra sollicitudinem, laboremque vivant beatiores in sua mediocritate, quam in omnium hujus Mundi bonorum affluentia.

Vide Titulum: PROVIDENTIA *in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang.*

Accepit ergo JESUS *panes ..... & distribuit discumbentibus, &c.*

II. ARGUM. Pro eadem die. De Providentia generatim.

Nulla est in Deo perfectio, quæ quovis tempore magis obnoxia fuerit contradictionibus hominum, quam Providentia. Alii prorsus illam ignorant, quomodo fecerunt prisci quidam Philosophi, & adhuc faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ne aliam habeant vivendi regulam, nisi propriam cupiditatem. Alii eam insimulant, & reprehendunt tamquam injustam in bonorum, malorumque vitæ hujus distributione. Hos proprius amor excæcat, se ipsos tantum diligunt, suis commodis, ac negotiis student, ea probant, quæ sibi placent, & de divina erga se Providentia murmurant, & conqueruntur. Alii denique sunt Mundi Sapientes, atque politici, qui magna moliuntur, & qui in cœptis suis sibi blandiuntur rati, se quod contendunt, assecuturos industria sua, calliditate, technis, quin a Dei Providentia pendere velint, & in eodem considere. Hæc tria sunt mortalium genera, quos cum Scriptura profugos, ac desertores Providentiæ vocare possum, & hoc sermone impugnare.

Primo aliis persuadens veritatem, & necessitatem Providentiæ, quæ regit, & gubernat omnia in hoc Mundo.

Secundo illis, qui murmurant, vel queruntur, ostendens illam esse infinite sapientem, & justam in ordine, quem constituit, & ratione qua omnibus prospicit.

Tertio denique illis, qui ab ea nolunt pendere, & qui in sua tantum industria, viribusque confidunt, ostendens, eos sine illa nunquam summam votorum suorum assecuturos, & omnia illis in perniciem cessura.

Vide Titulum: PROVIDENTIA, *quem supra indicavimus.*

III. ARGUM. Pro eadem die, & de eadem Providentia.

In hoc ipsum Evangelium de panis multiplicatione tres distingui possunt partes sermonis, ostendendo

Primo per Providentiam quam habet Deus erga homines, ipsum misereri necessitatis, qua laborabat populus, qui illum secutus fuerat in deserto: *Misereor super turbam.*

Secundo, misertum quæsivisse modum opem ferendi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

Tertio, modo hoc invento, utitur illo daturus homini affluenter, unde nutriatur usque ad satietatem. *Manducaverunt, & satiati sunt.* Tria hæc præstat Dei Filius solatium allaturus populo, qui illum secutus fuerat.

Aliter efferri potest Argumentum hoc de Providentia.

Hoc argumentum de Providentia alio adhuc modo potest inflecti; in cujus parte priori adornari potest elogium ipsius Providentiæ ostendendo illius qualitates; ejus attentionem in omnibus generalibus, & particularibus necessitatibus; bona quæ nobis procurat confidentia, quam habemus in illa, quæ sunt, nos liberare ab inquietis sollicitudinibus, quibus jugiter torquentur, qui in se tantum, industriaque sua, vel in ope humana confidunt.

In parte altera texi potest ejusdem Providentiæ Apologia contra ejus inimicos; ostendendo rationes, propter quas alii eam student evertere, ineptas esse; censuras quas critici quidam commenti sunt, nullis rationibus inniti; temerarias esse, & insaniam sapere; & aliorum tandem querimonias, esse infinite Deo contumeliosas.

PRO FERIA SECUNDA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Ascendit JESUS *Jerosolymam, & invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo.* Joannis 2.

I. ARGUM. De reverentia Templi debita. De hoc argumento jam locutsumus in Evangelium feriæ secundæ post secundã Quadragesimæ Dominicã.

DEFECTUS reverentiæ in Templis est proculdubio abominatio in oculis Dei; quippe mundi Salvator, qui tot nobis reliquit exempla mansuetudinis, atque patientiæ in perferendis gravissimis iniquitatibus nostris, hanc videre non potuit, quin zelus gloriæ Patris sui illum ad ultionem statim in arena deposcendam urgeat; illud vero in hoc facto longe admirabilius est, quod cum Deus ut plurimum imitetur Reges, ac terræ principes, qui per semet gratias largiuntur, ac tribuunt beneficia, sed scelera punituri ministrorum suorum opera utuntur, hodierna die Filius Dei sibi hoc munus deposcit in Templi profanatores propriis manibus animadvertens. Ejicit cum flagellis, minis, ac probris vendentes; mensas eorum, nummos, & merces evertit, & ira, quæ in oculis ejus emicat, species auctoritatis, quam induit, & oculorum ejus fulgura tantum in animos timoris, terroresque incutit, ut nemo illius furori audeat resistere. Verumtamen nulla me capit admiratio; in aliis enim criminibus contumelia non semper immediate refertur ad Deum; & peccatoris nequitia non adeo procedit, ut Deum ipsum lacessat. Ceterum, quamvis universus hic orbis sit veluti Templum, ubi recipit creaturarum suarum obsequia; tamen hoc Templum illi est commune cum hominibus, qui ibi suas extruunt civitates, & domos. Sed cum Templa sint unice destinata cultui, qui debetur illi, hæc est profanatio loci, qui illi sacer est, ideoque hæc est contumelia, quæ directe ad ipsum refertur; atque ut ostendat eamdem ad seipsum pertinere, ipse se ipsum ultorem minitatur.

Ut igitur criminis hujus indignitatem intelligatis, reperio in Scripturis, Deum tres præsertim qualitates sibi vindicasse, quæ impulerunt homines, ut Templa illi ædificarent, & quæ proinde a nobis exigunt obsequium omne, quod illi adhibere potest Creatura.

Prima est Monarchæ, & Domini, qui Templa hæc nostra in suas ædes convertit, & in locum, quem modo prorsus peculiari replet, unde factum est, ut veteres illa *Basilicas* nuncupaverint, videlicet Ædes regias, ubi Rex gloriæ plerumque inhabitat. Qualitas altera est Sacerdotis, quam Salvator sibi vindicavit, & quatenus talis sibi Templa nostra delegit in locum Sacrificii, cujus ipse est victima; quamobrem usque in præsentem diem Templa vocantur. Tertia denique est qualitas Protectoris, & Patroni populi sui, quapropter hæc Templa constituit tamquam locos asyli, ac refugii contra Justitiam suam: verum æquum est, ut & ipse tutus sit a nostris contumeliis, quæ caussa est propter quam vulgo Ecclesiæ dicantur, nempe loci quo Fideles conveniunt oraturi, & placaturi iracundiam Dei, quem alibi ferme ubique lacessimus. Hi autem sunt tres tituli propter quos hæc considerare debemus veluti loca sancta, quibus proinde profunda habenda est reverentia.

Primo propter præsentiam Dei, ibi tamquam in Ædibus suis inhabitantis.

Secundo propter magnitudinem mysteriorum, quæ in Templis celebrantur, ubi Deus ipse in Sacrificium offertur.

Tertio denique propter bona, quæ Deus nobis concedit in Ecclesiis, quas in asylum pro nobis contra justitiæ suæ severitatem convertit. Tres rationes propter quas tenemur in Templum accedere cum ea modestia, & pietate, quam postulat sanctitas loci totidem titulis consecrati, qui tres hujus sermonis partes constituent.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: TEMPLA.

Invenit in Templo vendentes, & omnes ejicit de Templo. Joann. 2.

II. ARGUM. Pro eadem die. De pravo usu bonorũ Ecclesiæ.

Nonne mirum est Auditores, videre Deum ira succensum; Illum, qui seipsum hominibus præbuit tamquam ipsius suavitatis exemplum, & qui in terram descendit ad flectendam Patris sui iracundiam contra homines irritatam? Tamen hoc illud est admirabile spectaculum, quod oculis nostris objicit hodiernum Evangelium. Nunc primum visus est Salvator præbere specimen iracundiæ, ille qui adeo perfecte omnibus affectibus suis dominabatur. Videte quomodo hac in occasione imperiosum suæ vocis tonum induat, quomodo præseferat auctoritatem, quomodo oculi, & vultus ejus zelo inflammati coruscent, & manibus non abstineat, ut vendentes, & ementes de Templo ejiciat. Nonne obstupescitis videntes illum, qui secundum Prophetæ verba non debebat calamum semifractum infringere; aliorum mensas evertere, aliorum effundere nummos, circum undique projicere, quod venale prostabat in hac loci sanctitate; probris, & minis uti, & ut me verbo expediam, audere, quod alius quilibet ab illo si faceret, jure tamquam furoris effectus haberetur? Tu quidem a furore quam longissime abhorres, æterna Sapientia, quæ nihil agis nisi justissimis de caussis, divinisque consiliis. Noveras hos Sancti Templi tui profanatores indigere aliquo severitatis exemplo, ut criminis sui enormitatem intelligerent, quale erat indigna profanatione violare locum hominibus, Angelisque ipsis verendum. Verum est, Judæis scandalo fuisse zelum adeo succensum, quo ille flagrabat pro domo Dei; ac seorsim ab eo quæsivisse, quanam auctoritate id operaretur, & quo jure hanc sibi vindicaret potestatem? *in qua potestate hæc facis?* Sed certus sum Auditores, vos nullatenus miraturos, ubi intellexeritis Templi hujus profanationem coegisse Filium Dei, ut exprobraret venditoribus, quasi domum Patris sui in latronum receptaculum convertissent; hanc inquam profanationem levem extitisse, ubi comparetur cum illa, quæ aliquando erat videnda summo cum Christianismi probro, & dedecore per negotiationem magis sacrilegam, & abominabilem, quæ ibi satis frequenter exercetur, & quam nonnulli Sancti Patres, atque potissimum Sancti Hieronymus, Augustinus, & Chrysostomus asserunt repræsentatam fuisse ab illis, qui negotiabantur in templo. Hæc autem est Simonia, quam committunt, qui res sacras negotiantur, & turpe beneficiorum Ecclesiasticorum commercium exercent. Quid enim cogitare possunt fideles, cum vident Ecclesiasticos beneficia emendicare turpibus adulationibus, servilibus blanditiis, noxiis simulationibus, ambitu infami, negotiationibus, & conventionibus, quæ leges Ecclesiæ subvertunt, & quas ipsi etiam Laici perhorrescunt? Quid cogitare possunt fideles de hujusmodi commerciis, quæ sæculi corruptio introduxit? Quid de permutationibus fraudolentis? De commentitiis restitutionibus, reparationibus, quæ sæpe vel minime factæ fuerunt, vel quæ præter justum valorem æstimatæ sunt? Quid de refignationibus, quibus præcesserunt explicitæ, vel tacitæ promissiones solvendi pensionem? Quid de conventionibus inter familias pro nuptiis, in quibus componendis ipsa etiam in pactum deducuntur beneficia, quæ affinibus deferuntur, dignis ne, an indignis, nihil interest.

Luc. 20.

De his Profanationibus, Sacrilegiis, Commerciis aptissimis ad provocandam iram, atque ultionem Dei, quorum enormitatem dicendo assequi non licet, hodierna die apud vos verba facturus invenio Eloquentem Salvianum appellasse Simoniam monstrum in Religione Christiana, idque triplici ex capite.

Primo quia pretium proponit iis rebus, quæ æstimari non possunt.

Secundo, quia sacrum, & profanum confundit.

Tertio, quia præsefert nimium rerum terrenarum amorem eo in statu, & professione, quam nemo debet amplecti, nisi ut animum suum ab illis avellat.

Tria hæc fœderum monstra in quibus peccatum simoniæ situm est, me admonent, ut singula seorsim considerem, ut melius criminis enormitatem intelligatis, quod nostro hoc sæculo usitatissimum est, & quod tria continet, quæ in Scripturis maxime improbantur, & severissime puniun-

puniuntur a Deo, avaritiam damnosissimam, sacrilegium maxime impium, quæ tandem gignunt pertinacissimam impœnitentiam.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: ECCLESIASTICUS.

Zelus domus tuæ comedit me. Joann. 2.

III. ARGUM. Pro eadem die. De reverentia Templis debita.

Non est cur miremur, Fideles, Zelum, quem hic Mundi Salvator præsefert pro domo Patris sui; Tres præcipuas rationes invenio, quæ simul reddunt Templa digna singulari veneratione, quam præ nobis ferre debemus summa cum pietate, ac devotione: nam

Primo sunt mansio Patris Æterni illic inhabitantis per suæ Majestatis præsentiam modo adhuc magis peculiari, quam in Templo Salomonis.

Secundo, quia Templa sunt ipsius JESU CHRISTI, qui simul est Sacerdos, & victima, quæ ibi offertur, & qui præterea ibi per realem Corporis sui præsentiam inhabitat.

Tertio, quia sunt Sanctuarium Spiritus Sancti, ibi affluentius, quam alibi, suas gratias, & charismata effundentis.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: TEMPLA.

Invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo. Joann. 2.

IV. ARGUM. De Spiritu Avaritiæ.

Mundi Salvator proculdubio æquissimam habuit indignationis caussam, cum invenit in Templo magnam vim ementium, & vendentium, qui per indignum Sanctitate loci commercium polluebant illud, eisque exprobravit, quasi domum orationis in latronum speluncam convertissent. Sed si propius factum hoc ad examen revocaverimus, inveniemus zelum, sanctamque iracundiam, quam in hac occasione præsetulit, non aliud objectum habuisse nisi Templi profanationem; quandoquidem malum, quod operabantur mercatores hujusmodi par non extitisset ciendæ iracundiæ hominis suavissimi, nisi aliis fuissent obnoxii criminibus, quam emendi, ac vendendi in atrio Templi. Salvatoris consilium, mea quidem sententia, fuisse videtur, ejicere omnino de loco Sancto avaritiæ dæmonem, spiritum versutum, & callidum, quo homines acti, ut plurimum, Dei negotium cum suo confundunt, & qui personam gerens pietatis efficit, ut unice de quæstu, & lucro se præbeant sollicitos.

Quamvis nemo ignoret quid sit agere per avaritiæ spiritum, & hæc verba explicatione nequaquam indigere videantur; credo tamen Auditores, operæ pretium esse apertius, quid sentiam, connotare, & significare, quid mihi velim hoc nomine Spiritus avaritiæ. Hoc enim vocabulo non intelligo solum spiritum, quem possidet hæc violenta, ac furens cupiditas, quæ efficit, ut nihil inausum relinquatur ad opes congerendas, & per fas, & nefas undequaque comparandas; neque solum crudelem avaritiam, qua fit, ut alii, quin fruantur bonis, quæ possident, malint ea otiari, quam impendere in usus, quos caritas Christiana præscribit. Neque mens est signanter verba facere de criminoso affectu, quo adhæremus bonis terræ hujus, & qui nos in æternum a Cælestibus prohibet. Sed nomine spiritus avaritiæ intelligo motus amoris proprii, qui nos ad agendum impellit propter aliquod temporale commodum, vel mundi hujus gloriam, vel aliquam utilitatem, quam speramus, & quærimus in opcribus nostris; ita ut ubique inveniamus, tamquam vetus ille æger, cujus ob oculos semper obversabatur imago sua, & nihil nisi se ipsum videbat. Igitur spiritum avaritiæ voco etiam hanc agendi rationem versutam, & callidam, quæ efficit, ut simulatæ pietatis integumento, eodemque zelo gloriæ Dei nosmet operiamus, ut sub hoc speciosо titulo, & per cuniculos oblique mundi plaufus aucupemur. Speciem hanc prætexere poterant, qui in Templo mundinabantur; quandoquidem merces, quæ venales prostabant, ad Sacrificia ibi offerenda pertinebant. Hoc in sensu spiritus avaritiæ sollicita est perquisitio eorum omnium, quæ cedere possunt nobis in commodum, vel utilitatem; ita ut omnia ad hunc referre finem, spiritu avaritiæ agi, vocem. Ut igitur vobis suadeam puriora, magisque Christiana sequi consilia, ac digniora eo viro, cui aliquis reliquus est sensus honestatis, & generositatis, duas propono veritates, quæ uti spero, immittent contemptum praxis, quæ minime Christianum, simulque honestum hominem decet.

Prima est, nulla re mentem hominis excæcari magis, quam habendi cupiditate, ideoque hanc sequi pro vitæ norma in iis potissimum, in quibus pietas permixta est, idem esse, ac eam facere incertam, injustam, infelicem, & abominabilem

Altera est: Cor nulla re magis corrumpi quam hac ipsa cupiditate; quia passim præfertur Deo, Religioni, & Caritati erga proximum in iis etiam occasionibus, in quibus ejusdem ratio habenda est diligentissima.

Vide Titulum AVARITIA *in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang.*

PRO FERIA TERTIA

POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? ... Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Joannis 7.

I. ARGUM. De Scientia necessaria in Ministris Evangelii.

QUANTACUMQUE sit utilitas scientiæ ad acquirendam Sanctitatem, vel hanc aliis inspirandam, tamen molestum est contra eruditos viros præjudicium; cum consideramus hinc quidem institutionem Religionis, pro qua Deus uti noluit sapientia, & sæculi scientia; sed humanis hisce subsidiis neglectis, elegit solum rudes homines, & illiteratos; inde vero cum cogitamus docilitatem, & humilitatem, quæ necessaria est ad amplectendam fidem, cui superbia, & pertinacia eorum, qui in Pagana antiquitate doctrinæ laude præstabant, semper obices invicti fuerunt. Præsertim vero cum videatur Deus, reprobare in Scripturis Sapientes, & eruditos mundi, tamquam censores Divinitatis; ita enim Tertullianus appellat, & tamquam infestissimos gloriæ ipsius inimicos, & rebelles gratiæ, & legi illius, & qui difficillime sub Evangelii jugo se subjiciunt, & subdunt rationem fidei per eam præsumptionem, quæ scientiæ inhærere videtur. Sane Apostolus Gentium quamvis eloquentia polleret, profitetur se nihil scire, nisi JESUM CHRISTUM, & hunc Crucifixum; unde factum est, ut qui maxime Sanctitatis laude commendati floruerunt, semper præferendam censuerunt humilem ignorantiam, & innocentem simplicitatem superbæ, arrogantique doctrinæ. Itaque in hodierno Evangelio intuemur præclarum humilitatis exemplum in Salvatore, in quo licet renderent omnes sapientiæ, & scientiæ thesauri, ut inquit Apostolus, tamen doctrinam suam acceptam refert Patri in hoc servans humilem simplicitatem, ne irritaret superbos, ferocesque Synagogæ doctores qui ejus exprobrabant illiteraturam. Et quamvis hoc exemplum JESU CHRISTI superet hominis captum; nobis ostendit, non sine gratiæ subsidio scientiam cum virtute, & sanctitate conciliari posse; & probat

Primum, Sanctitatem vitæ magnum esse subsidium ad scientiam indipiscendam. Secundum vicissim Scientiam magnum esse adjumentum ad acquirendam sanctitatem.

Prima Pars. Equidem scio passim vitio vetti viris doctis, quod impensius excolant ingenium suum præclaris eruditionibus, quam voluntatem solidis virtutibus, quæ solæ coram Deo sunt in pretio. Credere juvat id non temere dici; quandoquidem hoc docet experientia, nec desunt sententiæ hujus adstipulatores. Verum quamvis hujus rei plures afferantur rationes, afferere audeo, tantum abesse, ut scientia, & sanctitas simul esse non possint, vel aliquam esse inter duas hasce præclaras qualitates oppositionem, ut e contra manum vicissim sibi præstent, & sibi mutuo opem ferant, ut assequantur perfectionem unicuique propriam, quoniam Sanctitas confert scientiæ, & scientia Sanctitati. Primum igitur dico, Sanctitatem esse magis idoneam dispositionem ad impetrandam a Deo Scientiam; Quoniam donum est, quod Deus orationi concedit, quemadmodum exemplo suo Sapiens testatur. *Optavi, & datus est mihi sensus; invocavi, & venit in me spiritus.* Sap. 7. Quis autem dubitare potest, an morum Sanctitas, vitæ integritas, fidelitas in Dei cultu, sit optima dispositio ad obtinendum locuples hoc donum, & utrum Deus illud libentius concedat amicis suis, quam peccatoribus, qui passim illo abutuntur? Secundo Sanctitas perficit scientiam corrigendo vitia, quæ illi videntur ingenita, cujusmodi sunt superbia, ambitio, invidia, contemptus aliorum, & in proprio sensu pertinacia. Tertio scientiam attollit, ac sanctificat, cum suapte natura sit neutra; quia Sanctitas efficit, ut scientia divinæ gloriæ subserviat, & se ipsam per bonum usum sanctificet.

Secundo loco Scientia vicissim aliquid confert Sanctitati. Licet enim hæc duo longe diversi sint ordinis, & dici nequeat Scientiam absolute necessariam esse ad acquirendam sanctitatem, tamen constans est veritas, ubi cum virtute fœdus percutit, miram adferre utilitatem, validumque præsidium sanctitati. Primum, quia vetat, ne quis in errorem labatur, & fucum sibi fieri permittat; quod non ita facile evitare potest, qui caret scientia, & qui non sequitur decisiones, & consilia doctorum: ita ut primum officium, quod scientia præstet Sanctitati, sit iilam

lam deducere, & prohibere, ne in viis justitiæ deerret: Sap. 10. *Justum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi regnum Dei.* Secundo scientia fœcundam facit sanctitatem, quæ vulgo sterilis est; videlicet Sanctus, qui caret scientia, uni tantum sibi sanctus est; sed ubi sanctitas est cum scientia conjuncta, se effundit in proximum, & potest convertere, atque populos integros sanctificare. Tertio his adde tandem, scientiam efficere, ut Sanctitati accessio fiat auctoritatis, in omnibus cœptis suis pro Dei gloria, & Ecclesiæ utilitate &c. Pro fructu hujus sermonis inferri potest, non satis esse habere lumen scientiæ, nisi habeatur simul caritatis ardor; Scientiam sine sanctitate nos efficere nocentiores coram Deo, dum e contra cum virtute, & sanctitate conjuncta, efficiet, ut fulgeamus in gloria tamquam stellæ in omnem æternitatem.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: STUDIUM, ET SCIENTIA.

Nonne Moyses dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Joann. 7.

II. ARGUM. De vitæ regularitate.

Non immerito Dei Filius in hodierno Evangelio Pharisæos pedarguit, quasi eorum nemo Legem Moysis observaret, quamvis semper se religiosissimos legis observatores jactitarent. Salvator hoc illis pluribus in occasionibus exprobravit, & hoc jure nunc quoque exprobrari posset plerisque Fidelium. Neque enim putetis, Auditores, hoc argumentum, quod religiosis hominibus convenire videtur, crucem esse, & conciliari nequaquam posse cum vita eorum, qui in mundi luce versantur, in honoribus, & dignitatibus, vel familiæ alicujus administratione; nam affero hanc esse debere vitam veri Christiani, qui alioquin nunquam erit virtute præditus, & subibit periculum labendi in vitam dissolutiorem, quamvis ineat consilium inhærendi suis officiis. Quæ res mihi tribuit occasionem duas proponendi veritates.

Primo, constantem regularitatem, assiduamque diligentiam in servandis Religionis, status sui, & conditionis, ad quam nos Providentia evocavit, officiis, certissimum esse characterem nos divino Spiritu agi, & deduci in via salutis.

Secundo, hanc ipsam in obeundis omnibus vitæ officiis diligentiam, viam esse tutissimam, facillimamque ad assequendum finem, cui nos destinavit Deus, salutem videlicet, æternamque beatitudinem.

Primo dico characterem melius connotatum, quo Dei Spiritus a quovis alio spiritu distinguitur, esse regularitatem, hoc est fidelem, constantemque solertiam in obeundis omnibus officiis illius professionis quam sumus amplexi. Primo ratio desumitur a Sancto Augustino, afferente, Deum amare ordinem in omnibus operibus suis, eumque sibi veluti legem quamdam proposuisse, illum fideliter servandi, quem sibi præscripsit in natura, & gratia, ita ut, addit ille, *ordo nos ducat ad Deum, & sine ordine impossibile sit ad Deum pervenire*, qui finis est, qui semper oculis nostris debet obversari. Hinc sequitur, si Dei Spiritu vocamur ad statum, quem sumus amplexi, quemadmodum semper suppono, hunc esse spiritum eumdem, qui nos deducit per hanc viam, & nos impellit ad replenda hujus status officia; nam sicuti res conservantur per eadem principia, per quæ orta sunt, quomodonam melius judicare possumus nos Dei spiritu duci in ea vitæ ratione, quam nobis suasit, ut sequeremur, nisi per integram, constantem, & regularem observantiam omnium officiorum nostrorum. Secundo in hac infirmitate, & mobilitate, quam habemus in bono, & in hac proclivitate, qua semper in malum ferimur, ratio per se sola non satis recta est ad omnes actiones nostras dirigendas, ita ut sit principium vitæ Christianæ, & regularis. Dicendum est igitur hunc esse Dei Spiritum, videlicet desiderium placendi illi, & faciendi voluntatem ejus, & gratiam vocationi status hujus inhærentem; Alioquin nonnisi ex libidine, & fortuito bonum fiet, & hoc ipsum bonum non erit duraturum. Rerum nostrarum sollicitudo erit caussa, propter quam obliviscemur exercitationum piarum: non videbitur regula, neque uniformitas vitæ, in qua omnia erunt inordinata, & importune facta. Tertio docet experientia, quidquid violentum est non esse diuturnum; sed sensim, & sine sensu deficere, nisi externum aliquod accedat subsidium. Violentum est autem sese pro Deo subjicere regulæ constanti, quæ crucem figit libertati nostræ, quæ suapte natura est, rerum omnium, quibus coarctatur, inimica. Cum igitur Christianus per ædificantem regularitatem nulla in re deficit ordini, quem sibimet ipsi præscripsit, & quem ad salutem sibi necessarium esse duxit; quem aliunde nulla humana consideratione suscepit; nonne inferendum est, eumdem spiritum, quo ductus sibi legem præscripsit, illi etiam suadere hanc constantiam, & fidelitatem eamdem observandi? E contra vero cum nulli nosmet regulæ subjicere possumus, ut fidelius status nostri, & Religionis officiis perfungamur, hoc indicium est Deum quidem a nobis recedere, nos autem libenti animo jugum Domini excutere, & nosmet dispensare ab iis omnibus, quæ in Christianismo accidunt nobis permolesta; ita ut traditi nobismet ipsi, & in manum consilii nostri, in omnia mala ruamus.

Secundo affero, nobismet regulam, & vitæ rationem præscribere, per quam ad unguem omnibus officiis cum status, tum Religionis perfungimur, tutissimam, ac facillimam esse viam ad assequendum finem ad quem anhelare debemus, æternam videlicet felicitatem. Primum hæc rectissima via est, & tutissima, neque alia opus est probatione, quam scire hanc esse illam, quam Deus ipse nobis indigitavit; quomodo enim supernaturalis ipsius Providentia sese extendit super omnes homines in particulari; ipse illos appellat ad statum, in quo prævidet futurum, ut illi possint suæ saluti consulere; & quoniam hæc est voluntas illius, ut in hoc statu vivamus, credere etiam debemus, futurum ut semper voluntatem ejus faciamus, videlicet futurum ut omnia exequamur munera statui eidem inhærentia. Secundo, hæc via est facillima, & in qua minori cum labore incedere possumus; quoniam hic est status, & conditio, quam ipsi delegimus, tamquam naturæ, studiisque nostris maxime conformem. Tandem enim si in omnibus artibus, ac scientiis præcipuum consilium ad earum perfectionem indipiscendam, est ordinem servare, & certas habere regulas, quas sequamur; ita enim compendiaria utimur via, multisque parcimus laboribus; hoc ipsum de sanctitate dicendum est, quæ simul est, & Cæli scientia, & via, quæ nos illuc adducit. Ad hanc autem viam faciliorem efficiendam, & in compendium redigendam oportet regere communes vitæ actiones, tunc enim nihil nos morabitur, habitus omnes difficultates complanabit, & nobis facile fiet, quod antea difficillimum videbatur. Tertio Regularis ista diligentia est etiam utilissima; per hanc enim assequi licebit, ut omnes actiones nostræ ordinentur ad Cælum, & ad maximam meritorum vim comparandam.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: REGULARITAS.

Nolite judicare secundum faciem: sed justum judicium judicate. Joann. 7.

III. ARGUM. Pro eadem die. De Judicio temerario.

Hæc Sacri Textus Verba nobis occasionem præbent loquendi de temerario Judicio, quamvis alibi, sed aliter de eodem argumento verba fecerimus. Quamobrem fert animus ostendere quot modis peccare possumus temere judicantes.

Primo peccatur contra prudentiam judicantes secundum species, quæ ut plurimum fallunt, vel secundum ea, quæ narrata sunt, & quæ singulis diebus fallacia esse cognoscimus. Sed secundum hæc suum firmare judicium nonne est se objicere errori, ideoque agere contra regulas prudentiæ, quæ postulat, ut omnia præcaveamus, ne decipiamur?

Secundo peccatur contra Caritatem, qua cogimur optime sentire de proximo, & in æquiorem partem illius facta interpretari, ubi liquido prava non sint, & in iis, quæ sunt dubia, pendere potius in ejusdem utilitatem.

Tertio peccatur contra justitiam, ac legem naturæ, privando proximum eo jure, quod habet ad æstimationem in mente nostra; usurpando jus, quod ad nos minime pertinet, ea tandem alteri faciendo, quod nobis nequaquam fieri cuperemus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM TEMERARIUM.

Alio etiam modo efferri potest hoc argumentum, & in temerario Judicio tria possumus considerare. Aliter efferri potest hoc argumentum.

Primo Injuriam, quæ fit Deo judicando de hominum intentione, quod essentiale jus est Supremi Dominii ejus, qui solus renes scrutatur, & corda.

Secundo Injuriam quæ fit proximo, cui aufertur existimatio, ad quam jus habet, quamdiu nondum fecerit actionem haud dubie malam; ideoque Judicium temerarium, & contemptus qui illud subsequitur aperta est injustitia. Te nocentem putares, si propter detractionem in caussa fuisses, ut frater tuus jacturam faceret existimationis alienæ: Numquid es innocens, cum per temerarium judicium tu illum tua privas existimatione?

Tertio tibi metipsi per temerarium Judicium facis injuriam, quoniam temet coram Deo nocentem facis peccati gravis; & cogis Deum hunc misericordiæ, ut in te severum judicium exerceat.

Vide eumdem locum, quem in superiori argumento.

PRO

PRO FERIA QUARTA

POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Præteriens JESUS *vidit cæcum a nativitate* Joann. 9.

[I. ARGUM. De Cæcitate spirituali.] QUAMVIS Dei Filius in Evangelio nobis consilium dederit, ne unquam cæcum ducem sequeremur veriti ne cum illo, ubi primum occurreret periculum, in præceps laberemur; non credo tamen me monitum adeo salutare contemnere, si hodierna die vobis proposuero tamquam exemplum vitæ hunc cæcum, cujus historiam, & beneficium a Salvatore receptum, narrat Evangelium. Namque cæcus iste adeo perspicax factus est, ut non solum citra periculum, verum etiam tutissime nosmet illi deducendos tradere valeamus. Et sane lumen spiritus, quod una cum lumine corporis recepit, tale extitit, ut ipsos legis Doctores docere potuerit, eisque ostendere cæcitatem, in qua versabantur, non cognoscentes Messiam, Magistrum, Salvatorem, & Deum suum post adeo stupendum miraculum, & manifestum quod ipsi viderant.

☞ Ita cæcitas mentis, qua Doctores illi perculsi erant æquissimo supplicio, quod sibi per invidiam, superbiam, & incredulitatem conflaverant, erat deplorabilior illa, qua pauper homo iste nuperrime liberatus fuerat, quia voluntaria erat, & criminosa, cui ut fieret medicina, non minori opus erat potentia, neque minori miraculo. De hac spiritus cæcitate, in qua vivunt hodierna die plerique mortalium, & quam Dei Filius nobis minitatur in decursu Evangelii, de hac inquam cæcitate vobis verba facturus sum, tamquam de malo, quod ad nos pertinet, & quod hoc tempore adeo familiare est, & quod maximum, & funestissimum malorum, quæ in hac vita nobis timenda sunt, appellare possum, quia quantum anima præstat corpori nobilitate, & lumen gratiæ excellentius est naturali: tantum cæcitas spiritualis peccatorem, qui suis criminibus tantam sibi conflavit calamitatem in tristiorem, & periculo propiorem statum adducit. Verum ut magis afficiamur hac terribili calamitate, & illam evitare satagamus, fert animus duo cæcitatis genera distinguere in peccatore, quorum alterum est ipsum peccatum, per quod relinquit Deum pro aliquo creato bono, & salutem suam adducit in discrimen propter aliquid levissimi momenti. Quæ cæcitas tanta est, ut Propheta nos doceat, ideo Cælos, terramque obstupescere: *Obstupescite*
[Jerem. 2.] *Cæli super hoc*. Aliud cæcitatis genus est effectus, & pœna peccati, & consistit in subtractione luminum, & gratiarum Dei, & in depravatione judicii de electione, & usu rerum, quæ ad salutem pertinent; quod efficit, ut neque agnoscantur, neque metuantur Christianæ Religionis veritates, eo modo, quo opus est. De altero hoc cæcitatis genere hodierna die apud vos verba facere contendo, tamquam de malo maxime deplorabili, in quod incidere possit in hac vita peccator. Quamobrem vobis ostendere cupio.

Primo unde hæc oriatur cæcitas, & per quos gradus ad illam perveniatur.

Secundo quinam sint funesti effectus status hujus, in quo nihil magis metuendum est; nisi cum peccator se beatiorem putat, & inter scelera majori gaudet animi tranquillitate.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: CÆCITAS.

Præteriens JESUS *vidit cæcum a nativitate*. Joann. 9.

[II. ARGUM. Pro feria quarta post quartã Quadragesimæ Dominicã.] Hodierna die tria sunt personarum genera in cæcitate posita, & quæ suam ignorant calamitatem, ideoque necessario confugere tenentur ad Deum remedium deprecaturi, & cum Evangelico cæco petituri: *Domine, ut videam*.

[Luc. 18. De eadem spirituali cæcitate.] Primi illi sunt, qui simpliciter sunt in errore, non secus ac Hæretici bonæ fidei. Hi sane deplorandi sunt; hi quodammodo sunt cæci nati, quos nativitas hausta ab Hæreticis, educatio, atque institutio ab aliis cæcis accepta in falsa religione prohibent, ne oculos lumini aperiant, & suum errorem agnoscant. Hujusmodi cæci a Deo petere debent, ut illos illustret, & illis aperiat veritatem, & ipsi pro virili parte quærant edoceri: *Domine, ut videam*.

Secundi sunt, qui in credendo sibi licentiam vindicant, quorum cæcitas longe perniciosior est priore, & difficilior, quæ curetur; quoniam ab eorum proficiscitur præsumptione. Credunt sibi plus esse luminis, quam aliis, quos infirmos spiritus vocant, spiritus sine perspicacia; sed cum illi se spiritus fortes vocitent semet ipsos excæcant constantissimas Religionis nostræ veritates impugnando. Facile illis ostendere est cæcitatem in qua sunt; quamvis nonnisi omnipotens divinæ misericordiæ manus illos ex hoc statu eripere valeat.

Tertii sunt, qui in moribus componendis sunt liberiores, qui inter voluptates vivunt, & quos amor proprius excæcat, quia nolunt sua officia cognoscere, ne illa adimplere teneantur, & nuntium mittere ei vivendi rationi, quam susceperunt.

Vide Titulum quem superius connotavimus, & præter illum in Tomo II. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: IGNORANTIA, *& in III. Titulum*: LICENTIA.

[Aliter efferri potest hoc argumentum.] Aliter etiam efferri potest hoc argumentum, & spiritualis cæcitatis malum amplificari habita ratione malorum, quibus in corporali cæcitate sumus obnoxii, duplex hoc cæcitatis genus simul comparando.

☞ Primo Cæcus oculis captus, non videns ea, quæ facit, nullo potest in opere excellere, & nulla in exercitatione, ubi oculi omnino sunt necessarii ad opus dirigendum; exempli gratia in pingendo, scribendo, manibus laborando. Nullus hujusmodi labor rectus esse potest, & secundum artis regulas institutus, si a cæco fiat. Talis est animæ cæcitas: qui ad illam redacti sunt per scelera nihil boni ad salutem acquirendam operantur. Nesciunt unde incipiendum sit, & nonnisi corrumpere, ac vitiare possunt actiones externas prava intentione, carentes conscientia, & religione saltem quoad effectus; hoc enim intelligitur pro cæco, nisi fidem quoque amisit.

Secundo cæcus corporeis destitutus oculis incessanter versatur in errandi periculo viam hanc pro altera accipiens, quoniam neque videre potest viam quam sequi debet, neque terminum, ad quem vult pervenire; quamobrem indiget duce, non habens oculos, quibus regat se ipsum. Hæc est infelicitas, ad quam cæcitas animæ redigit peccatores; hi semper magis, magisque aberrant, non cognoscunt vel quo eundum sit, quæ est beata æternitas, nec quam viam sequi debent, illuc perventuri. Quamobrem incessanter ab illa per funestam aberrationem recedunt.

Tertio cæcus semper est in discrimine impingendi, atque labendi in loca præcipitia, quæ cum non videat, sibi cavere, & illa evitare non potest. Heu! in quæ crimina, & quæ mala non ruit cæcus peccator! Nonne dici potest hic ferri de præcipiti in præceps laxans habenas suis cupiditatibus, quæ illum trahunt, & quæ sunt cæci duces, quos sequitur?

Videte eumdem Titulum in Bibliotheca: CÆCITAS.

In gloriam Dei. Joann. 9.

[III. ARGUM. Pro Feria quarta post quartam Quadragesimæ Dominicam. De gloria Dei.] Quemadmodum Deus, cum operari voluit extra se ipsum, non habuit finem gloria sua præstantiorem; ita deinceps exegit gloriam eamdem ab omnibus creaturis, tamquam obsequium, & æquissimum vectigal suæ magnitudini debitum. Sed hæc obligatio Deum glorificandi generatim afficit hominem, cum potissimum innitatur imagini, quam ille gerit Dei longe perfectius quam cetera creata. Itaque tenetur ille creatorem suum glorificare etiam pro reliquis, cum inter omnes creaturas corporeas sit unus, qui illum cognoscere, amare, & eum cultum præstare valeat, quem suprema ejus flagitat Majestas. Porro si vultis scire quibus modis magis Deus valeat glorificari; quid illi gloriosius sit, & quomodo supremam illius magnitudinem recognoscere valeamus; hoc bifariam fieri posse mihi videtur.

Primo ad Deum referendo omnes cogitationes nostras, omnia verba, actiones, motus, & omnes cordis nostri affectiones.

Secundo, acceptam referendo Deo gloriam omnem, & æstimationem, quam ab hominibus recipere possumus, tribuendo illam Deo, tamquam bonum ipsi proprium, & peculiare.

Vide Titulum: INTENTIO *in Tomo II. Bibliothecæ Mor. Evang. & in IV. Titulum*: SERVITUS DEI.

PRO FERIA QUINTA

POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Adolescens tibi dico, surge. Luc. 7.

[I. ARGUM. Quomodo consideranda sit mors.] SI quid in mundo aptum est ad nos ad officium revocandos, & excitandos Fideles ab hoc mortali sopore, in quo plerique vitam traducunt, hoc dubio procul esse potest prospectus mortis, vel potius cogitatio illius, quod de nobis aliquando futurum est; secundum Veritatis ejusdem oraculum. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. [Eccles. 7.] Ita ut quemadmodum nulla virtus est, nulla industria, potentia, vel auctoritas, quæ contra

tra mortem nos tueri valeat, dici quoque possit non esse vitium, quod altas adeo jecerit radices, neque adeo violenta cupiditas, neque cor adeo obduratum, quod resistere valeat seriæ cogitationi eorum, quæ fiunt funesto illo momento, cujus effectus non minus terribiles sunt, quam certi; ex quo argumentor caussam omnium malorum, quæ in mundo regnant inde proficisci, quia de morte nulla fit cogitatio, vel potius quod mors non consideratur ex eo loco, qui aptior est ad impressionem faciendam in animum nostrum, & ad librandum terribile pondus, quod nos pertrahit in malum. Difficile enim est credere, homines nunquam cogitare de re ea, quæ tam crebro incurrit in oculos eorum, & cujus oblivisci nequeunt, etiamsi velint; cum interim haud ægre retineant memoriam propinquorum, amicorumque suorum. Neque credibile est, illos posse omnino hanc cogitationem abjicere quantumvis importuna sibi videatur; donec aliquod rationis lumen supersit. Inferendum est ergo, si hæc cogitatio non omnem assequatur effectum, quem Spiritus Sanctus obtinere testatur, inde oriri, quia non respicitur, uti opus est, secundum fidem; & in illis casibus, in quibus Christiana Religio illam exhibet nobis.

Et sane si homines de morte cogitant, alii eam considerant tamquam separationem a vitæ commercio, neque aliam sibi proponunt ideam, nisi secundum ea, quæ morientes cessant operari. Alii de morte non cogitant nisi quatenus est separatio a suis consanguineis, & amicis, & ita hæredes sibi scribunt, atque de rebus domesticis, negotiisque solliciti sunt. Quidam de morte non laborant, nisi ut adhuc in hominum memoriam superstites sint; alii, ut evitent contentiones, ac lites, quæ post se possent suboriri; & alii demum, Philosophorum more, mortem intuentur tamquam aliquid necessarium, serius, ocius obeundum, & credunt se constantia tantum, animoque obfirmato indigere ad illam æquo animo, ubi accesserit, accipiendam.

Hoc profecto non est de morte cogitare, neque justam ejusdem ideam concipere ad fructum hauriendum, quem hujusmodi cogitatio gignere potest in vitæ ratione instituenda. Consideranda non est tamquam separatio animæ, & corporis, Sanctus Bernardus ait, sed tamquam transitus ad æternitatem, per quem in alteram vitam ingredimur alia visuri objecta, sedem, cogitationes & sensus deinceps non alias mutandos, mutaturi. Ex hoc loco fert animus hodierna die mortem prospiciendam proponere, videlicet, quamdam veluti mutationem, quæ fit tunc erga nos, & inversionem rerum omnium, quæ sunt in nobis, & extra nos; sed quæ deinceps nos adducit in statum consistentiæ, in quo æternum permanebimus, quale nosmet inveniemus. Meum igitur consilium est vobis ostendere

Primo mortem immutare omnia, habita nostrum ratione.

Secundo nihil post mortem amplius mutari; quæ sunt duæ maximi momenti veritates, deinceps in sermonis decursu pertractandæ.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum; MORS.

Adolescens, tibi dico, surge. Luc. 7.

[II. ARGUM. Pro Feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam. De morte cujus cogitatio nobis aufert vitæ hujus illusiones.] Sermonis hujus argumentum est ostendere per mortem corrigi, & auferri omnes hujus vitæ illusiones. Hæ potissimum sunt tres. Prima est de vita ipsa quam credimus nunquam finem habituram. Fingimus nobis chimæricam æternitatem; sed mors docet serius, ocyus moriendum esse. Altera est de bonis vitæ hujus, quibus inhæremus, & mors docet, illa esse modica, & quantumvis essent ampliora, necessario aliquando esse relinquenda. Illusio tertia nosmet ipsos respicit; existimamus nos esse aliquid; & mors nobis, quid simus, ostendit.

Prima harum illusionum est de ipsa vita. Nobismet persuadere non possumus, nos nequaquam morituros; fides enim, ratio, experientia satis oppositum nobis persuaserunt. Sed mortem longius semovemus; credimus nos non hac die morituros, non hebdomada, non anno, ideoque nobis quamdam fingimus speciem æternitatis. Sed mortis cogitatio hanc illusionem, & fascinationem dissipare debet; mors enim in singulo momento repente potest irruere; nihil incertius est hora, & genere mortis; Exemplum plurimorum, qui ne cogitantes quidem præripi videntur, nos admonet, hoc ipsum nobis accidere posse, & nos iisdem casibus esse obnoxios; & tandem ab ipsa veritate docemur, semper paratos esse debere; nescimus enim, quando dies Domini adveniet. Ostendi etiam potest nemini minus sperandam esse vitæ diuturnitatem, quam illis, qui eam in vitiis traducunt, & qui minus præ ceteris de morte cogitant. Hinc elici possunt plurimæ, eæque præclaræ conclusiones, cujusmodi esset; quo magis de morte cogitare cunctamur, eo minus fore ad bene moriendum dispositos; totum vitæ spatium nos in jugi illusione traducturos, quæ nonnisi a morte ipsa auferetur, vitæ præsentis illecebras ea nos privaturas felicitate, quam in altera vita nobis præparaverat Deus, & oblitos hanc non esse perpetuam mansionem nostram, non laboraturos, ut æternam in Cælo nobis mansionem comparemus.

Illusionem alteram nobis gignunt hujus mundi bona. Profecto si mundum consideraverimus ex externa hac specie, quæ nitet, habet sane illecebras nobis seducendis pares. Externus hic fulgor, quo septi sumus; honor, qui nobis adhibetur; hæc potentia, quæ subjicit orbem universum voluntatibus nostris; divitiæ, quas possidemus, voluptates, quibus fruimur, hæc omnia fascinant, & ita fallunt, ut paucissimi se hac specie decipi non permittant. Sed ratio sese præmuniendi contra illusionem hanc adeo generalem, est mutuari ab ipsa morte lumina, & veritates. Quærite ab hoc ambitioso, qui ad hunc apicem se extulit, quem sensum ad lectulum mortis habuerit, honorum, & dignitatum, ad quas per tot labores evasit, & ejus magnitudinis, propter quam tot se sollicitudinibus exercuit. Heu! hæc omnia evanescunt, cum prodeundum est coram Deo. Quanti facit has opes, quæ illum a morte nequeunt eripere; & quæ in vita altera illi prodesse non possunt? Incipit agnoscere in morte suam cæcitatem, & abjicere errorem; adhuc nimis felix, nisi hæc illusio exitus haberet acerbiores.

Illusio tertia est hominis in hac vita, cum se ex externa specie demensus, ex fulgore fortunæ, generis, aliisque præclaris qualitatibus, aliquid se putat esse. Hæc autem illusio, vel potius impostura dissipanda est mortis cogitatione. Nam primum separabitur homo ab hoc luxu, pompa, & iis omnibus, quibus septus est, atque tunc se nudum, & omnino solum inveniet. Proh Deus! quæ mutatio! Cum rebus omnibus exuetur, & nihil relinquetur earum rerum, quas possidebat, præter sudarium, sandapilam, & quinque vel sex terræ pedes! Secundo vita, motuque carebit; oculi ejus in æternam noctem claudentur; os obstruetur nunquam aperiendum; hæc lingua eloquens adeo, & diserta, quæ omnes societates exhilarabat, silebit. Tertio corpus hoc vermes depascentur, & fiet horribile spectaculum, quippe in putredinem conversum, horrorem ciebit, & nemo in illud oculos figere audebit. Ad hæc quid fiet de ingenio, elegantia, scientia, perspicacia, acumine, ac ceteris, quæ inflant cor humanum, & efficit, ut se ceteris præstare putans intumescat? Si mortis cogitatio in animo impressa hæreret, nonne abjiceret præclaram hanc ideam, quam de se conceptam fovet, & alit?

Vide eumdem Titulum: MORS.

Adolescens, tibi dico, surge. Luc. 7.

[III. ARGUM. Pro Feria quarta post quartam Quadragesimæ Dominicam. Mors, cujus caussa peccatum fuit esse potest peccati medicina.] Cum peccatum sit caussa mortis, Apostolo teste, eamque peccatores per æquissimum Dei supplicium sibi fuerint promeriti, ut Sapiens docet; ita ex Divo Augustino mors vicissim est remedium peccati, & perturbationis, quam peccatum peperit in omnibus facultatibus hominis: nam

Primo Intellectus ejus perturbatus est per errorem fallacemque ideam bonorum mundi hujus, & solus adspectus, & cogitatio mortis illi errorem auferre potest, ostendendo illi vanitatem, instabilitatem, & nihilum earum rerum omnium, quas in mundo plurimi facimus.

Secundo voluntas perturbata est per eam, quam habet proclivitatem, qua tamquam invita fertur in bona sensibilia; & sola mors est, cujus cogitatio possit nos avellere ab amore eorum, & prohibere, ne adhæreamus iis, quæ aliquando erunt relinquenda.

Tertio appetitus ejus magis adhuc inordinatus est per infirmitatem, qua malo resistere nequit, & per rebellionem illius contra rationem, quæ caussa est, ut voluntas, objectorum creatorum illecebris victa, contra Domini mandata repugnet. At quinam tutius cohibere, reprimere, & validius compescere potest motus imperiosos inordinatorum appetituum, quam mors, & metus eorum, quæ mortem sunt consecutura? quemadmodum asserit Sanctus Augustinus. *Timor de futura morte mentem necessario concutit; & quasi clavus, omnes motus superbiæ ligno crucis affigit*. [Lib. de Doctrina Christiana.]

Vide locos superius memoratos in præcedentibus Argumentis.

PRO FERIA SEXTA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Tunc dixit JESUS *manifeste, Lazarus mortuus est.*
Joann. 11.

I. ARGUM. De præparatione ad mortem.

SI Prisci Philosophi Philosophiam suam mortis meditationem dixere, dici potest apicem Christianæ Sapientiæ esse, nosse artem bene moriendi, quoniam hoc semel fieri potest: & prioris mortis defectus secunda morte reparari non potest. Sed præterquam quod ipsa inevitabilis moriendi necessitas evincat, opus esse, ut nosmet illi præparemus; satis valida ratio nos urget, quia tuto hanc impendimus præparationem, quæ nobis esse nequit inutilis, quemadmodum rebus in aliis passim usuvenit. Cum enim parati sumus ad longum iter ingrediendum; cum auri, argentique copia collecta est, supellex, & quidquid necessarium ducitur; aliud majoris momenti negotium consilium susceptum prohibere potest, & apparatus omnes inutiles reddere. Matrimonium, & nuptiæ summa cura erant paratæ, sed in arena, cum omnia composita existimabantur, negotium evanuit; ecce curæ omnes, & sollicitudines fraudantur effectu. Dignitatis candidatus petitionis pondus sustinueras, sed gratiosior petitor te de ponte dejecit, vel obex a te neglectus cogit, ut a petitione animum semoveas; oleum, operamque perdidisti. Sed nemo frustra se præparat morti, & hæc præparatio nunquam inutilis est; mors enim serius, ocyus aliquando tandem adveniet; & hoc præcipuum est opus prudentiæ, sibi hac in re præcavere; nequando te imparatum apprehendat.

Scio equidem plenos esse libros præceptis, piisque sensibus, ut extremæ illi diei nosmet disponamus, ubi singula, quæ hoc in casu nobis facienda sunt, edocemur. Quamobrem mihi hæc generatim pertractanti, satis erit ad præparationem hanc adhortari duplicem proponendo veritatem, quæ complectitur quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Primo, ut bene moriamur, nobismet præcavere debemus contra mortis insidias, semper nosmet in eo statu continentes, in quo coram Deo prodire cupimus; quam remotam vocamus præparationem.

Secundo nosmet communire debemus contra impetus illius, cum illam adventare cognoscimus; idque per eos actus, quos in lectulo mortis elicere debet Fidelis, antequam ex hac vita discedat; quæ proxima dicitur præparatio.

Vide in Tom. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MORS.

Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei.
Joannis 11.

II. ARGUM. Pro Feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam. De bono usu morborum.

Homines passim morbos considerant tamquam mala, & flagella Dei, & facile est ostendere.

Primo esse magna beneficia, & effectus divinæ erga nos misericordiæ; quia nos revocant ad officium, & efficiunt, ut conscientiæ nostræ consulamus, de vita altera cogitemus, & in hac divinæ Justitiæ satisfaciamus.

Secundo, cum infirmitates a divina Providentia immittantur, præstantissimum esse medium nos roborandi, ubi illis utamur ad agendam de peccatis nostris pœnitentiam; pœnitentiam, quam fortasse nunquam ageremus nisi per hoc medium; quoniam per hanc supplere possumus omnibus bonis operibus, quæ facere negleximus; cum infirmi plures habeant occasiones exercendi patientiam, & Christianam mortificationem.

Tertio in infirmitatibus hanc quoque peculiarem utilitatem inveniri; cum enim ad Deum confugimus, illum supremum vitæ, necisque arbitrum fatemur, de æternitate cogitamus, & mortis pavor efficit nos de altera vita sollicitos: cum e contra, quando prospera fruimur valetudine raro, vel nunquam Cælestes veritates meditamur, Dei obliviscimur, cum sexcentis modis lacessimus; solatia, & voluptates inquirimus, & in omni flagitiorum genere marcescimus, cum periculo per sexcentos casus, qui in vita accidunt, pereundi, ideoque in omnem æternitatem Cælesti patria carendi.

Vide in Tom. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MORBI.

PRO QUINTA QUADRAGESIMÆ DOMINICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato.
Joann. 8.

I. ARGUM. De Confessione, vel Sacramento Pœnitentiæ. Hebr. 7.

HÆC verba, auditores, vera non sunt nisi in ore illa proferentis in hodierno Evangelio; illius videlicet, qui eadem est sanctitas, & innocentia per se, & quem Sanctus Paulus omnino a *peccatoribus segregatum* appellavit; illius, qui est Agnus sine macula, & qui venit in terram ad auferenda omnia mundi peccata, quemadmodum testatus est gloriosus ejusdem Præcursor: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; Joann. 1.
illius denique *qui peccatum non fecit*, neque facere potuit: nobis enim, qui in peccato concepti fuimus, & 1. Petr. 2.
jam peccatores eramus antequam nasceremur, si esset præsumptio credendi nos ideo irreprehensibiles esse, & dicendi cum Salvatore: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8.
Nonne omnia creata, quæ instrumenta fuerunt nostrarum iniquitatum, & quæ gemunt, ut inquit Apostolus, sub hac servitute, insurgerent contra nos, quod factura sunt Judicii die, futura contra nos loco accusatorum, ac testium; vel ut ait Propheta, ipsa peccata nostra nonne contra nos responderent? *Responderunt peccata nostra.* Isaiæ 59.
Denique dilectus Discipulus nonne redargueret nos de falsitate, ac mendacio ob vanam hanc præsumptionem, quæ satis esset ad nos coram Deo nocentes probandos? *Si quis dixerit, quia peccatum non habet; mendax est, & veritas non est in eo.* Joann. 1. 2.
Verumtamen quandoquidem Deus Ecclesiæ suæ reliquit Sacramentum pœnitentiæ, quod delere potest quæcumque fingi possunt peccata, & ministris suis facultatem largitus est illa dimittendi, quantumcumque gravia esse possint; & asseruerit sententiam, quam illi in terra protulerint, in Cælo confirmatum iri: dicere possumus quodammodo in nobis situm esse liberari ab omnibus peccatis illa expiando per bonam confessionem, & veram, sinceramque pœnitentiam, quæ nobis priorem innocentiam restituet. Hoc mihi præbet hodie occasionem, (quandoquidem incipit Ecclesia nobis ob oculos ponere Passionem Salvatoris) habendi sermonem de Sacramento, quod nobis ejusdem meritum, & fructum applicat; & quandoquidem nullus est Fidelis, qui semet disponere non teneatur per Confessionem ad recipiendum in hac Paschatis solemnitate Salvatorem suum, non minus opportunum est, quam utile semel saltem verba facere de ea re, quam sæpe facimus; quoniam maxime interest illam facere bene. Hoc autem præstare cupio in hoc sermone, qui cum præter solitum maxime didascalicus sit, ac familiaris, non erit tamen simplex eruditio, quemadmodum argumentum ipsum videtur exigere; conabor enim duo vobis auferre præjudicia, quæ homines circa hoc Sacramentum habere videntur.

Primo quidam illud respiciunt tamquam gravissimum onus, & molestissimam Christianæ Religionis necessitatem; quibus ostendendum est Deum nunquam majori usum clementia, & misericordia, quam cum instituit unicum hoc, & supremum remedium peccatorum. Hoc primum erit punctum.

Secundo alii e contra freti facilitate pharmaci adeo potentis, illud non his, quæ necessariæ sunt, dispositionibus accipiunt; quibus ostendere volo hujus Sacramenti abusum, & usum pravum illud futurum, de quo severius judicandi erimus, erimusque severissimam rationem reddituri; quandoquidem cetera oblivioni tradentur, si illud uti opus est receperimus.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFESSIO.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joann. 8.

II. ARGUM. Pro quinta Quadragesimæ Dominica. De Peccato Veniali.

Longissime abest, Auditores, a me cogitatio probandi Stoicorum Philosophorum errorem, qui ad adfectandam severiorem vivendi præ ceteris disciplinam in extrema impegerunt vitia, omnino a ratione abhorrentia, omnia confundentes peccata, & tamquam præcipuum axioma docentes, peccata omnia esse æqualia. Sed non animadverterunt, se non tam contulisse, ut a mundo peccata tollerentur omnia, quam eorum fuisse mentem non abnuo; verum potius effecisse, ut impunius, ac liberius committerentur; cum enim scirent in vitæ hujus conditione, & in hac in malum proclivitate, fieri non posse, ut peccata evitarentur omnia, nonne hoc erat exæquare sceleratissimum quemque cum religiosissimo, docere, omnia peccata ejusdem esse naturæ? Ego tamen hodierna die Auditores per moralem omnino Sanctam, atque Christianam efficere conabor, ut justum concipiatis levissimorum peccatorum metum; cumque mihi verba facienda sint apud eos, qui virtutem profitentur, afferere non timeo primum

mum canonem, quem sibi proponere debent pro vitæ suæ norma, esse debere, illud auferre discrimen, quod inter magnum, & parvum invenitur, ubi sermo est de peccato.

Ut autem cum ordine, æque ac cum fructu id exequar, præsuppono vos scire, peccatum, quod veniale vocatur, non aliud esse quam inordinatum alicujus boni creati affectum, secundum notionem a Sancto Thoma traditam, in hoc a peccato mortali diversum secundum ejusdem Doctoris sententiam, quod mortale affectus est omnino inordinatus ex semet, ubi præferuntur creaturæ Deo, & veniale solum, in mediis ad hunc finem tendentibus, illis adhærendo nimio cum ardore, & sollicitudine, in qua verum consistit peccatum; ita ut quæcumque difficultas, & contentio suborjatur de hac idea, quam nobis adtruunt Theologi, semper verum sit dicere hoc esse veluti medium aliquod inter malum summum, & cetera mundi mala, medium inter servorem caritatis, & omnimodam illius privationem; in statu veluti medio inter mortem, & vitam animæ, qui plerumque ægritudo, & languor vocatur. Hinc haurio tres veritates, quæ in nobis ciere possunt æquissimum venialis noxæ timorem, & nobis persuadere, ut diligentissime illam evitemus.

Prima est, quod medium, cum situm sit inter duos terminos, est particeps utriusque; quod nobis ostendit venialis peccati nequitiam, & gravitatem prorsus aliam ab ea, quam plerumque homines vulgo concipiunt.

Altera est, transitum esse ab uno ad alterum, tamquam via, inter duas urbes posita, & quæ ad utramque communicationem constituit; ex quo patet periculum illius, qui sese objicit incaute veniale peccatum committens.

Tertia denique est si minus noxa levis est omnimoda separatio animæ a Deo, qualis est peccatum mortale, quod infringit nodum amicitiæ, quam dignatus est Deus nobiscum contrahere, saltem obex est ejusdem gratiis, & favoribus, & vetat, ne arctius cum illo conjungamur; non secus ac quidquid medium tenet inter extrema duo, prohibet, ne se invicem tangant, quod nobis ostendit peccati hujus effectus perniciosissimos.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VENIALE PECCATUM.

Respondit JESUS, *dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum; & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat, & judicet.*
Joannis 8.

III. ARGUM.

Nonne vobis videtur, Auditores, videntibus, quæ hodie fiunt, Salvatorem mundi prorsus alia incedere via, ab ea, quam hactenus secutus est? Visus fuerat non solum fugere gloriam, & hominum plausus contemnere, sed etiam quærere humiliationem, atque contemptum; sævissimas sustinere calumnias, & gravissimas contumelias, quin, nonnisi per invictam patientiam responderet, & uti loquitur Sanctus Ambrosius, quin inimicorum opprobriis quidquam opponeret præter silentium pertinax, quo tandem de illorum nequitia semper cumulatissimum retulit triumphum. Sed hodierna die non solum præbet hominibus exemplum prorsus oppositum; quandoquidem tuetur gloriam, & existimationem suam, acriter propulsat illatum sibi convicium, queritur de illatis sibi contumeliis, suamque probat auctoritatem, sed etiam provocat eos, qui ipsum propius inspexerint, ut aliquid exprobrent sibi, ipsumque de peccato redarguant? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8.

Neque hic immoratur; postquam enim Judæis ostendit injustitiam, quam illi faciunt concipientes, & inspirantes aliis sensus adeo parum favorabiles personæ suæ; confugit ad validiora suæ innocentiæ testimonia. In medium affert, quanti ipsum fecerint Prophetæ, ac inter cetera, quid de illo senserit Abraham, qui præ gaudio exultavit prævidens in antecessum merita, & dignitatem illius, cui Sancti illius Patriarchæ filii per summam indignitatem conviciabantur; & deinceps asserit fore ut Æternus Pater ipsius, cujus gloriam unice quærebat Salvator, tueatur gloriam Filii a calumniis, & contumeliis eorum. Illud vero in nova hac agendi ratione, qua utitur Dei Filius mihi admirabilius videtur, quod non sufficit illi rationibus invictis delere labem, quam illi offuderant, & ostendere se extra jactum esse nequioris censuræ; sed ipse vice versa redarguit, & objicit calumniis iniquissimis verissima crimina, quandoquidem ea illis exprobrat, quæ poterant os eorum verecundia, ac rubore suffundere. Quid, quæso, sibi vult hæc insueta agendi ratio in JESU CHRISTO, qui tanta cura tuetur gloriam, atque existimationem suam, quam sexcentis in occasionibus contemnere visus est? Nos hoc facto docet veritatem, quam cognoscere plurimum refert; videlicet bonam existimationem sæpe esse necessariam ad Dei gloriam procurandam, & ad salutem cum nostram, tum proximi; non enim desunt occasiones, ac tempora, quibus præferre tenemur illius incolumitatem, amori, ac desiderio humilitatis ipsius, quam videtur Dei Filius etiam, atque etiam commendasse. Spero me vobis probaturum, duo hæc præcepta nequaquam secum pugnare; quapropter minime vereor duplicem hanc statuere propositionem, quæ conciliabunt, quidquid contradictionis erit in hoc argumento.

Primo, Christianus debet esse virtute præditus non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; ideoque sibi retinere existimationem probitatis, atque virtutis, quam adeptus est.

Secundo, Sæpe etiam illam tenetur contemnere, & sacrificare hanc ipsam existimationem pro gloria Dei. Hæc sunt officia duo, quæ Christianum respiciunt secundum varietatem occasionum sibi occurrentium, quas pro virili explicaturus sum. Horum alterum efficere debet ut curam gerat existimationis suæ, cum utilis est, & necessaria ad Dei cultum, & gloriam. Per alterum vero propter ejusdem gloriam existimationis suæ debet jacturam facere, cum aliter nequit illam tueri salvis legibus, & præceptis Evangelii.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: EXEMPLUM.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
Joannis 8.

IV. ARGUM. Pro quinta Dominica Quadragesimæ.

Per occasionem horum verborum hodierni Evangelii, quæri posset cur adeo modicus fructus percipiatur hodie ex Verbo Dei, cum olim adeo potens esset, & efficax. Duæ afferri possunt rationes, quæ Sermonis hujus partitionem efficient. Prima proficiscitur ex Spiritu Auditorum, qui non satis illud habent in pretio, neque tanti faciunt, quanti faciendum est. Altera ex parte cordis, quod renuit in praxim redigere eas veritates, quas docet nos.

Pro priori parte ad concipiendam omnem æstimationem quam meretur, considerari potest primum ratione Auctoris. A Deo venit, verbum divinum est: *Non nos ipsi loquimur, sed Deus qui loquitur in nobis.* Ideo quicumque tandem sint mores, vel talenta Concionatorum, hoc nequaquam considerandum est, nec cogitandum per quem rivum in nos fluat, sed respiciendus est fons, unde fluit, qui Deus est; quod omnem aufert prætextum, quem afferre possunt Auditores contemnendi verbum Dei. Secundo considerari potest ratione veritatum, quas docet. Hæc sublimia sunt Mysteria, Evangelicæ veritates, excelsa axiomata, quæ nos ad eminentem Sanctitatem possunt attollere. Tertio ratione magnorum effectuum, quos gignit, mundi conversionem, eversionem Idololatriæ, omniaque naturæ, & gratiæ miracula.

Quod ad alteram pertinet caussam modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur, ex parte cordis desumitur. Inde omnes obices proficiscuntur, nisi gustantur eæ veritates, quæ studiis nostris adversantur; si in eo aliqua dominetur cupiditas, cui nolit abrenunciare; si cum fert occasio ægre se ipsum superare velit, sibique crucem figere; quæ totidem sunt ad effectus divini verbi impedimenta.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VERBUM DEI.

PRO FERIA SECUNDA POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum.
Joannis 7.

I. ARGUM.

HÆC sunt verba, quæ olim dicebat Deus Judæis, qui adeo parum profecerunt ex divinis ejus documentis, quod illi præbuit locum in hodierno Evangelio dicendi, sibi modicum superesse temporis, quo cum illis permaneret; ex quo non injuria conjicimus, quædam esse momenta, quæ permittere non debemus, ut nobis elabantur; quasdam esse gratias criticas, quibus nisi responderimus, timendum est, ne iterum revertantur, quod innuit Salvator per terribilia verba, quæ Textum allatum subsequuntur: *Quæretis me, & non invenietis.* Joann. 7.
Ex quibus verbis colligimus, quanti referat nostra proficere iis momentis, quibus placet Deo nos per gratiam suam visitare; cumque ignoremus eorum opportunitatem, omnium nobis diligentissimam habendam esse rationem, veriti, ne momentum illud, quod negligimus, secundum mentem Sancti Pauli extremum illud sit, quod tempus acceptabile, & salutis diem vocat. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. Cor. 6.

Ut hoc rite assequamur, scire oportet, quamvis gratiæ omnes